

### Leptura tesserula.

L. aterrima, elytris testaceis, puncto in utroque elytro medio atro angulato, apicibus atris.

Habitat in Hungaria australi.

Statura Lept. tomentosae, sed major; totum corpus exceptis elytris aterrimum, nitidum, pilis aureis quodammodo sericeum.

Caput rotundatum, collo distincto, punctis impressis numerosissimis obsitum, antennis subserratis.

Thorax globosus, postice angulis subacutis, cum scutello aterrimus, punctis impressis majoribus, sed paucioribus quam in capite.

Elytra in basi thorace sunt latiora, profunde sinuata, in apice oblique truncata: punctis numerosis impressis obsita, versus humeros majoribus, versus apicem minoribus. In unoquoque puncto est setula aurea, retro spectans, ut in pluribus Lepturis solet. Color elytrorum testaceus atque in medio singulorum elytrorum est punctum atrum triangulare vel angulatum: apex est distinete et late atro terminatus. In foeminis conspiciuntur lineae quaedam longitudinales lucidiores seu nitidiores, quibus mas carere videtur. Sutura plane non atra.

Pectus cum abdomine aterrimum, glabrum, nitidum, punctatum, pilis parvis obsitum.

Pedes atri, punctis impressis.

### Leptura distinguenda.

Tab. IX. fig. 1. mas.; fig. 4. foem.

L. atra, elytris maris purpureis immaculatis, foeminae miniaceis, apice et maculis duabus mediis, nigris pictis.

Comes de Hoffmannsegg in litteris.

Dej. Cat. pag. 113.

Habitat in Lusitania et Hispania.